

medium seu *motivum* Apostolos moveret, ut ipsi darent & hanc potestatem, ut cuiquamque imposuisset manus, acciperet Spiritum Sanctum?

XIV. Quapropter anno 1655. postulante Gandensium Antistite Antonio Triest Facultas Theologica Lovanensis prædictum Casuistarum assertum, tamquam merum Simoniacæ pravitatis palliamentum & apertissimum Christi præceptum evertens, ac omnibus Simoniacis latissimam ad Sacerdotia & Beneficia Ecclesiastica portam pandens, reprobavit.

Hujus judicium sequutus Episcopus Namurcensis in Synodo sua anno 1659. inter opiniones, quarum praxim interdicit Confessarius suæ Diocesis, donec à Sancta Sede aliter ordinatum fuerit, hoc quoque Casuistarum assertum reprobavit n. 6.

XV. Episcopi quoque Gallicani perniciosissimum hoc Simoniacæ pallium detegere non prætermiserunt; atque præcæteris Archiepiscopus Senonensis in Synodo sua Diocæsana, hæc acerriam quidem, sed nequaquam ultra meritum, censuram assertum illud perstrinxit: "Hæc doctrina quæ Simoniacæ contra jus divinum crimine eos omnes liberat, qui pecuniam propter Sacerdotia vel dederunt, vel acceperunt, modò pecunia MOTIVI locum habet non PRE-III; tota falsa, nefaria, impia est, hæresim Simoniacam toties à sanctis Conciliis & pontificibus damnatam, subdole renovans, & ad implendam lupis Ecclesiam, & corrumpendam ejus in ipso fonte, hoc est Sacerdotum Ordine, sanctitatem inventa.

XVI. Tandem anno 1679. Innocentius XI. omnium illarum censurarum justitiam probans & roborans, inter alias 65. quas omnes, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosam & in praxi perniciosam, damnavit & prohibuit, & hoc Casuistarum assertum retulit. num. 45.

XVII. Alii non nihil subtilius se ipsos fallentes, nolunt munera per modum *motivi* Patronis aut Collatoribus dare, ut eos ad beneficium conferendum immediatè moneant, vel inducant, sed muneribus sibi amicitiam vel favorem Patronorum aut Collatorum conciliant; ut ea mediante facilius beneficia obtinere queant: quasi non fat evidens esset, ea munera *ultimate*, dari, ut iis medianibus ad beneficia perveniatur: quodque ipsa Beneficiorum affectio, quæ amicitia concilianda *finis* est, magis sit in intentione, quam amicitia & favoris conciliatio, quæ dumtaxat *medium* est. An forsitan *gratis* obinetur, dum media precio mercari oportet?

XVIII. Nonnulli omnia in securo posita antumant, si nihil Patronis aut Collatoribus dent; sed muneribus sibi conciliare non dubitant illos, quos sciunt auctoritate valere apud Patronos & Collatores; quorum favore sibi ad beneficia aditum pandant: non intelligentes, hanc munerum oblationem pro ultimo fine habere beneficiorum impetrationem; nullatenusque dici posse, beneficia hac via impetrata, esse *gratis* impetrata.

Quapropter legitur apud Gratianum. *Caus. 1. q. 5. Can. 3.* responsum Urbani III. quo rescribit Episcopo Metensi, à Sacerdotio de rigore Canonum esse suspendendum, qui Sacerdotium obtinuerat *per pecuniam non EPISCOPO, sed cuidam Principum ejus datam*; non quidem ab ipso Ordinato, at ipso ignorante, à parentibus ejus.

XIX. Et sanè qui conciliando similibus Proxenetarum favore munera impendunt; nihil aliud re ipsa intendunt, quam munerum interventu beneficia impetrare. Quis insuper non videt, hinc semitam sterni, ut per munera passim indigni quique in beneficia involent.

XX. Merito proinde Facultas Theologica rogata ab antedicto Gandensium Antistite judicium suum dare super hæc propositione: *Pro intercessione ad beneficium obtinendum potest aliquid dari sine Simoniacæ suspitione*, illam hac censura perstrinxit: *Falsa est, perniciofa, hominibus ambitiosis & indignis aditum aperiens ad Beneficia per pecuniam promiscue procuranda.*

## CAPUT V.

De Pallii specie pietatis; item redemptionis vexæ; & gratuita remunerationis.

1. Pallium sub specie pietatis execratur S. Basilus.
2. Hanc larvam, tamquam diabolicam fraudem insigne exagitat S. Gregorius.
3. Abominabile judicat exstruere Monasteria ex pecuniis Simoniacè acceptis.
4. Mores hodiernos describit Gregorius.
5. Cavendum ne sub obtentu eleemosynæ Simonia committatur.
6. Pro obtinendo Beneficio nihil Ecclesie aut pauperibus tribuendum.
7. Quomodo sub hoc pallio Monachi subinde Simoniam committant.
8. Item & Ecclesiastici largas eleemosynas facientes.
9. Hoc Simoniacorum pallium satis detegitur per Christi sententiam, gratis accepistis, gratis date.
10. Larva Simonia sub specie redimendæ vexæ jam pridem usitata.
11. Per redemptionem vexæ intenditur pacifica Beneficii possessio.
12. Super beneficio mediante temporali transigi nequit.
13. Transigi sub obligatione refundendæ expensæ à Pontifice improbatum.
14. Sub redemptione vexæ sæpius latere Simoniam probat Lucius III.
15. Quid observatum voluerit S. Carolus, ne sub pretextu redimendæ vexæ committeretur Simonia.
16. Quo fundamento nitatur larva gratitudinis.
17. Si hæc larva admittatur, etiam Simon Magus & Gierx essent à Simonia excusandi.
18. Episcopi hanc larvam damnarunt; quorum judicium probavit Innocentius XI.
19. Ostenditur, dari tamquam pretium, quod dicitur dari per modum gratitudinis aut remunerationis.
20. Unde colligi possit, datæ titulo remunerationis, revera dari pro obtentione Beneficii, isque Collatorem motum esse ad conferendum?



Eculo quarto de hoc pietatis pallio scribit, illudque execratur S. Basilus in epistola ad Episcopos sibi subiectos, quæ refertur inter Canones ejusdem Sancti *Can. 91.* apud Balsamonem: "Ajunt quidam inquit

nonnullos vestrum accipere pecunias ab iis qui ordinantur; pietatis verò nomine id obumbrare, quod deterius est. Si quis enim faciat malum boni pretextu, is est duplici poena dignus; & eo quod id agit, quod non bonum est; & ad peragendum peccatum, eo, quod bonum & honestum est, coadjutore, si dici possit, vitur.

II. Tempore Sancti Gregorii passim sub hoc pietatis pallio Simoniam contegi consuevisse testis est ipse Gregorius in pluribus epistolis; ac signanter *lib. 7. epist. 9.* in qua insigniter has diaboli technas detegit & exagitat. "Plerumque (ait) aduersarius animarum, dum non potest in his quæ ad faciem sunt prava surripere, callidè specie quasi pietatis iniecta, nititur supplantare; sua delesque forsitan, debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera eleemosynæ celata obumbratione transfundat. Nam nec venator feram aut avem aucups deciperet, vel piscem piscator caperet, si aut illi laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum efcæ absconditum non haberet. Omnino

ergo

ergo mettuenda & cavenda est hostis astutia; ne quos aperta nequit tentatione subvertere, latente telo sævius valeat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac intentione male accipit, ut quasi bene dispense, gravatur potius, quam juvatur.

III. Ex quibus ulterius inferit: "Unde etiam illud certum est, quia et si monasteria aut xenodochia vel quid aliud de pecunia quæ pro sacris ordinibus datur, construantur, mercedi non proficiat: quoniam dum perverfus emptor honoris in locum sanctum transmittit, & alios ad suam similitudinem sub commodi datione constituit, plura male ordinando destruit, quam potest ædificare qui ab eo pecuniam ordinationis accipit.

IV. Ad hæc verba Gregori reflexens eruditus operum S. Gregorii Revisor, & notarum auctor, ait: "Quam graphicè nostrorum hominum mores depingit, qui furta & latrocinia publica, piorum locorum ædificatione redimere se putant: hostiæ abominabiles quæ offeruntur ex scelerè, *Proverb. 21.*

V. Post hæc concludit Gregorius: "Nimis ergo declinandum est, dilectissimi Fratres, sub obtentu eleemosynæ, peccata Simoniacæ hæreses perpetrare. Nam aliud est, propter peccata eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas peccata committere. "Apud Gratianum *Caus. 1. q. 1. Can. 27.*

VI. Eodem fundamento insistent Alexander II. apud Gratianum *Caus. 1. q. 3. Can. 9.* postquam exhibuit sub gravissimis poenis alicujus muneris interventu beneficia distribui, sub eisdem poenis constituit, ut "nullus cuiuscumque gradus Clericus pro Ecclesiæ beneficio aliquid audeat conferre, aut fabrica Ecclesiarum vel donariis Ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit tribuendum.

VII. Rectè proinde intulit Christianus Lupus Dissertatione 2. processuali ad tomum 3. scholiorum *cap. 2.* "Quocirca Clerici & Monachi quotquot hodie apud Laicos, aut Ecclesiasticos Principes agunt *proxenetæ* ac *intercessores*, impetrare conantes promotionem aut nominationem Prelatorum, qui ipsorum pauperum Ecclesias, Collegia, Monasteria aut Xenodochia dare, adjuvare, vel ornare obligentur, committunt plenissimam Simoniam, & suis personis ac rebus evocant divinam maledictionem. Etiam Artifices, & quivis hinc intercessionibus promoti. . . . Et hinc vides à Magnatibus quoque, pergit idem Lupus, dum quid à nominatis Episcopis vel Abbatibus exigunt quasi ad publicas Regni necessitates, omnino committi Simoniam.

VIII. Similiter qui largas eleemosynas, aut donaria faciunt in exstructionem Monasteriorum, aut sustentationem familiarum sive Congregationum aut Conventuum, ut per eorum intercessionem sibi Patronorum aut Collatorum gratiam conciliare queant, & ea mediante ad Beneficia sibi viam sternere, nequaquam à Simonia exempti sunt: utpote qui per temporalia ad Beneficia hoc modo perveniunt.

IX. Si Christi sententia, *Gratis accepistis, gratis date* hic rursus expendere, haud difficulter diabolica hæc techna detegere, Nimis enim apertum est, quod hic nec *gratis* dentur, nec *gratis* accipiantur; dum tot donaria aliaque temporalia, quamvis eleemosynæ aut pietatis pallio contexta, præstari oportuit.

X. Non minus subtilis est diaboli techna, qua nonnulli in Simoniacam pravitatem inducit, nimirum *redemptio vexæ*; quam sine ulla Simoniacæ labis suspitione licitam esse persuadet: cum tamen non raro hic non tantum species, sed vera Simonia lateat.

Scribit S. Ivo Carnotensis *epist. 60.* Multi electi qui gratuitam & Canonicam habent electionem, quia hujusmodi *dilationibus* vel *fatigationibus* impediuntur; comparatis pecunia mediatoribus & prolocutoribus, ne turpem patientur repulsam, in Simoniacam offendunt aliquid, quando consecrationem.

XI. Rationem illius assignat B. P. Damiani *lib. 2. Epist. 3.* Non Ecclesiæ consulere quærunt, sed quietè possidendi sibi culminis aditum pandunt; hoc est, ne per alium à Sacerdotio sive Beneficio assequendo aut retinendo impediantur, datis *muneribus* sub pallio *redemptionis vexæ* assequuntur.

Quidni mediante temporali *spirituale* assequi dicendus est, qui eo mediante jus, quod alter habet, aut habere præterit, assequitur; aut ut ei in suum favorem renuntiet, obtinet?

XII. Consultus Alexander III. Utrum de Ecclesiastico Beneficio in *litigium* deducto possit fieri transactio, respondit, quod transigi super res sacras & ligatus non potest. Ratio subjungitur: "Etenim res sacras ut possideantur aliquo dato vel retento seu promisso speciem credimus habere Simoniacæ." *Cap. 7. De Transact.*

Quibus verbis significat Pontifex, revera res sacras aliquo dato vel promisso possideri, dum temporale datur, ut colligens à lite desistat, & colligantem à *vexæ* liberando, pacificè possidere sinat.

XIII. Idem Pontifex in *Cap. 4. De Pactis* non duxit admittendam pactiorem inter quoddam Monasterium, & quemdam P. Clericum in causa quæ super Ecclesia & Capella de L. vertebatur, qua convenerant, quod eidem P. pro expensis quas fecerat, tres marchæ a genti solverentur, idem P. liti cederet, & à Monachorum infestatione cessaret.

Cur hanc pactiorem probare recusa verit adjungit: *Pro eo quod videretur pravam illicitæ pactiõnis speciem continere.*

XIV. Hæc sat ostendunt, sub *redemptione vexæ* non raro posse latere Simoniacam pravitatem; quod apertius indicat resolutio Pontificis in *Cap. 23. De Simonia.*

Secreta enim insinuatione monstraverat Mattheus Cardinalis Lucio III. quod "cum quidam ad Ecclesiam regimè, de voluntate majoris partis Fratrum fuisset electus, paucis contradicentibus: quidam amicus de ejus conscientia, & voluntate turbata, ei qui Magister discordia videbatur, certæ quantitatis munus exsolvit, & sic contradictio cessavit." Postea dubitare incepit Electus, num esset à labe Simoniacæ proterus immunis? Cum enim *Major pars* Fratrum elegisset paucis tantum contradicentibus, non nisi mera *vexæ* redemptio fuisset videri poterat.

Consultus tamen Pontifex respondit: *Multum tibi consulis, si administrationem celeriter ac spontè dimittas, illius verbi memor existens: NIHIL PRODEST HOMINI, SI UNIVERSUM MUNDUM LUCRETUR: ANIMÆ VERO SUÆ DETRIMENTUM PATIATUR.*

Notat hic Glossa, quod quidem dicat Pontifex, *consulis*: quia peccatum *occultum* erat; unde illum expressè prohibere non poterat nisi *consulendo*. Et licet dicatur, *consulis*, necessitatem tamen importat, si vult salvari: quia nisi renuntiet, salvari non potest.

XV. Prudentissimè proinde S. Carolus, ne, ut ipse loquitur, *redimendæ vexationis specie* in causis beneficialibus Simoniacæ pactiões fiant, statuit in Concilio Mediolanensi I. titulo De Constit. contra Simoniacos *num. 11.* "Nemini licere ad *redimendam vexationem*, ne in casibus quidem jure permissis, pecuniam dare, quidquamve paucis aut transigere, nisi Episcopi consensus accesserit, cuius partes erunt, & perspicere diligenter, an sublit aliqua fraus: ubi rem fraude carere, & jure permissam cognoverit, non denegare ei, qui petierit, facultatem se à vexatione liberandi. Qui contra quam decretum à nobis est, inquit, fecerit, Episcopi arbitrio plectatur; & quod actum fuerit, irritum sit & nullum.

Quicumque igitur se à vexatione in causa beneficiali redimere meditatur, conformiter ad hoc S. Caroli præceptum, præviè Episcopo aut certè aliis quibusdam Viris doctis ac peritis totam rei seriem merito exponet; ut ipsi discipiant

spiciant, num sub *redimenda vexationis* specie solita Simoniacae pactiones non lateant, vel an periculum non sit, quod illicitis aliorum extorsionibus annuendo, ipse eorum injustitiae complex fiat; aut saltem scandali causa sit. Quae omnia indubie securis aliis expendenda committuntur; quia aviditas qua cupimus à vexis liberari, facile excœcat & proprium iudicium corrumpit.

XVI. Nonnulli magis attendentes ad vulgatam Simoniacae definitionem, *Studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali rem spiritualem vel spiritualem annexam*, quam ad Christi præceptum *gratis accepistis, gratis date*, prædictamque definitionem iuxta internum verborum corticem rigore interpretantes, à Simonia vindicare præsumperunt dantes & accipientes temporale pro spirituali, modo *temporale sit solum GRATUITA COMPENSATIO pro spirituali, aut econtra*, quasi hoc modo dare vel accipere temporale pro spirituali, non esset vendere vel emere spirituale pretio temporali.

XVII. Sanè si hi & similes prætextus *gratitudinis* sub vocabulo *gratuita compensationis* exculent, requiraturque verbis expressis inita emptio-venditio, jam Simonia adeo exulabit à rebus humanis, ut ne ipse quidem Simoniacorum patet Simon (de quo *Actorum* 8.) Simoniacus fuisse dicendus sit; in iustitiam eum Petrus duram illam sententiam pronuntiaverit, *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. Neque Giezi eorumdem Simoniacorum atavus meruisse dicendus erit lepram qua divitiis percussus fuit 4. *Regum* cap. 5. Neuter enim pro dono spirituali pretium obtulit aut exegit. Simonis verba sunt *Dare*, inquit, *& mihi hanc potestatem*. Dari sibi petit non vendi, Pecunias offert, sed tamquam motivum; vel pro gratuita compensatione, ubi Apostoli dedissent quod petebat. Giezi quoque ablit ut pactum inierit: sed cum Naaman sponte ex benevolentia obtulisset munera, quam *Benedictionem* vocat, & Propheta ea recusat; ipse cucurrit post Naamen, & oblatum accepit. *Da*, ait, *talentum argenti & vestes mutatorias duplices*. Hodie id diceretur *Par chirothecarum*.

XVIII. Merito proinde Facultas Theologica Lovaniensis instante sæpe dicto Gandensium Anulitate censuravit hanc propositionem tamquam Simoniacae pravitati portam latissime aperientem: *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando per temporale fit solum compensatio gratuita pro spirituali, aut econtra*.

Praxim ejusdem omnibus quoque interdixit in Synodo sua Diocesana anno 1659. Episcopus Namurcensis.

Horum iudicium tandem probavit Innocentius XI. anno 1679. eandem propositionem inter alias 65. laxioris moralis quadragiesimam quintam condemnans.

XIX. Huiusmodi doctrinae auctores non videntur attendisse, aut noluisse attendere, quod tamen illi mentis intuitus adhibeat, ut temporale non consideretur tamquam *pretium*, interim *reipsa* tamquam pretium detur; ut evidenter patet ex eo, quod exacte ratio valoris iniri soleat; & expendi quantum illud spirituale, vel temporale ipsi annexum, utilitatis importet: v. g. quantum annui proventus habeat beneficium, ut sic res rei non secus respondeat, quam si bos aut equus in foro pretio competenti veniret.

XX. Alexander III. in *Cap. 18. De Simonia* tria potissimum attendenda esse scribit, *dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris & donationis tempus*, ut sciatur, an munerum oblatio animam Collatoris aut Patroni ad conferendum beneficium moverit, tacitaque saltem dando temporali conventio intervenierit.

Hec si expendantur in muneribus, quæ sub pallio *gratuita compensationis* sive *remuneracionis* in quibusdam partibus fieri consueverunt, ad oculos patebit, hæc *munera* reipsa tamquam *pretia* spiritualium aut temporalium iis annexorum dari; nec spiritualia dari aut accipi, nisi tacita saltem remuneracionis istius promissione facta; quem-

admodum latius singulas circumstantias expendendo, ostendi in Tractatu De Simonia circa Beneficia parte 1. cap. 2. §. 8.

### CAPUT VI.

De pœna depositionis Simoniacorum, & nullitate provisionis Simoniacæ.

1. *Primis seculis pœna tantum decreta in Simoniacas Ordinationes: & quare?*
2. *Synodus Calchedonensis Simoniacæ ordinatum de suo gradu dejicit.*
3. *Synodus VI. deponi mandat.*
4. *Simoniacæ Ordinantes & Ordinatos à Sacerdotio cadere supponit S. Tarasius.*
5. *Hæc depositio erit perpetua.*
6. *Probat Testimonio Leonis IV. Simoniacæ Ordinatam nec post actam pœnitentiam Sacerdotio restitui.*
7. *Imò Ordinationes Simoniacas quasi substantialiter irritas dixere Canones.*
8. *Saltem fuere irritas quoad executionem in perpetuum.*
9. *Hanc perpetuam depositionem multis urbis S. Tarasius.*
10. *Depositionis huius iustitia ostenditur.*
11. *Canones loquentes de Simoniacis Ordinationibus etiam complectuntur Simoniacas Beneficiorum provisiones.*
12. *Probat auctoritate Alexandri II.*
13. *Calistus II. Ordinationem & provisionem Beneficii Simoniacam quoad pœnam depositionis conjunxit.*
14. *Recentiora Pontificum Synodorum Decreta Simoniacas provisiones Beneficiorum irritas declarant.*
15. *Martinus V. in Concilio Constantiensi eas declaravit nullas ipso jure.*
16. *Idipsum declaravit Pius V.*
17. *Ad hanc nullitatem sufficit Simonia conventionalis.*
18. *Qui hanc nullitatem restringunt ad Simoniam realem, verba Canonum contra eorum naturalem sensum contorquent.*
19. *Restrictio hæc ab Urbano II. jam pridem rejecta.*
20. *Ostenditur quam futili fundamento hæc restrictio nitatur.*
21. *Quis præcipuum Ecclesiæ scopum in decernenda hæc pœna nullitatis & depositionis?*
22. *Qui per Simoniam à Parentibus commissam ordinati sunt, etiam deponendi sunt.*
23. *Etiamsi signorante Ordinato Simonia sit commissæ.*
24. *Hanc nullitatem clarissime terminis exprimit Decretalis Cælestini III.*
25. *Nisi sit facta in fraudem provisio.*
26. *Provisio per Simoniam, licet ipso ignorante commissam, tenetur beneficium dimittere.*
27. *Monuit B. Petrus Damiani Simoniacos, ut Ordinem sponte desererent.*
28. *Multi etiam Episcopi convicti rationibus Damiani suas Sedes dimittere promiserunt.*
29. *Sed promissis non steterunt; & quam difficulter Simoniaci convertantur.*
30. *Simoniam etiam occulta reddit provisionem nullam, & obligat ad dimittendum.*
31. *Simoniacus tamen oculus deponi non potest; sed potest induci purgatio Canonica, si publice sit de Simonia suspectus.*
32. *Cum occulto facilius quam cum publico dispensari potest.*
33. *Ut Simoniacus ex suo Beneficio ejiciatur, debet pravie declarari Simonia intrasse.*
34. *Hæc declaratio contra Clericum faciendæ à Jure Ecclesiastico.*

35. Crim.

35. *Crimen hoc est Ecclesiasticum in quantum contra Clericum agitur.*

36. *Aliquando incidit Jurex laicus cognoscit de hoc crimine contra Clericum.*


37. *Hoc casu Jurex laicus non pronuntiat super crimine Simonia: sed super possessorio beneficis.*

38. *In Reg. Gallie raro recurritur pro obtinenda hæc declaratione ad Jurem Ecclesiasticum: & quare?*

39. *Quomodo Jurex laicus etiam cognoscit de Simonia; licet super ea non pronuntiet?*

40. *Simoniacus etiam tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum.*

41. *Etiamsi Simonia sit occulta.*

I.  Via primis seculis, nondum erectis beneficiis, Simonia præcipue circa ipsas Ordinationes versabatur, ut supra cap. 2. ostensum est, etiam pœnæ jam pridem in Simoniacos decreta, ipsas Simoniacas Ordinationes spectabant.

II. Synodus Calchedonensis *Canone* 2. statuit: "Si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, & sub pretio redegerit gratiam, quæ vendi non potest, ordinaveritque per pecuniam Episcopum, & Chorepiscopum, Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in Clero annumerantur, vel propter pecunias promoverit æconomum, vel deansorem, vel paramonarium, vel omnino aliquem ex Canone, turpis quæstus gratia: qui hoc tentasse convictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat: & qui est ordinatus, ex ordinatione vel promotione quæ instat mercatorum venundatur, nihil juvatur: sed sit à dignitate vel curatione alienus quam pecuniis adeptus est.

Hunc Canonem innovans Synodus II. Aurelianensis *Can. 4.* ait: "Si quis Sacerdotium per pecuniam nundinas execrabilis ambitione quæserit, abjiciatur ut reprobus.

Idipsum declarat Synodus Aurelianensis V. Turonensis II. Cabilonensis, item Remensis II.

III. Et Synodus VI. vulgo Trullana *Can. 22.* ait: "Eos, qui per pecunias ordinati, sive Episcopi, sive quicumque Clerici, & non secundum probationem & vitæ optionem, deponi præcipimus.

IV. Et Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola lecta & probata in Synodo Nicæna II. intrepidè pronuntiat: "Omnis Episcopus vel Presbyter, aut Diaconus convictus, quod pro muneribus ordinationem dederit, vel acceperit, à sacerdotio cadit.

V. Hæc depositio iuxta phrasim antiquorum Canonum absolutam & perpetuam, nulla pœnitentia debilem irregularitatem significabat. *Depositio enim ex natura sua est perpetua ac irreparabilis*, ait Lupus in Dissertatione 3. proœmiali præfixa tomo 3. Scholiorum *pag. 241.*

VI. Unde interrogantibus Britonum Episcopis: "Utrum Simoniacæ ordinati possint in Ordine pœnitentiam agere, aut tantummodo extra Ordinem & Sacerdotalem fieri gradum?" Respondit Leo IV. "Convictis & iis, qui tam detestabile nefas (quod jam multis damnatum est Conciliis) peregrisse noscuntur, nullam pœnitentiâ possimus subvenire, & tot spiritualibus Patribus obviare, sed illorum Patrum sententiam me convenire omnibus certum sit." *Can. 1. g. 7. Can. 5.*

VII. Hic evidenter supponit Leo IV. Simoniacæ ordinatos, nec post actam pœnitentiam ad exercitium Sacerdotii restituendos; quod & Christianus Lupus citata Dissertatione 2. proœmiali *cap. 17.* rectè notavit: "Hæc enim Ordinationes adeo detestata est, adeoque nullam umquam pœnitentiâ ad ministerii executionem admittit olim voluit Ecclesia, ut etiam ir-

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

ritas, diceret, & haberet quali substantialiter nullas.

VIII. Et quamvis credat hic Auctor contra Morinum has Ordinationes non fuisse quoad *substantiam* irritas, tamen non dubitat, irritas saltem fuisse effectu quoad executionem, atque *indispensabili suspensione ac irregularitate firmatas* ut loquitur *pag. 241.*

IX. Hanc perpetuam irregularitatem nulla pœnitentia delendam multis adstruxit, fortiterque urfit S. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in Synodo VII. *Actione 8.* & extat apud Gratianum *Caus. 1. g. 7. Can. 2.* sed non nisi mendose, uti rectè notant Correctores Romani, quorum notas consulere oportet.

X. Et sanè quæ iustior aut convenientior pœna esse potest, quam ut Sacerdotio perpetuo privetur, qui illud per Simoniam turpissimè maculavit, & existimavit Sacerdotii gratiam *pecuniâ possideri*. Quid iustius quam ut ex ovili Christi ejiciatur, qui non intravit per ostium in ovile ovium; sed ascendit aliunde, nimitum tamquam *fur & latro*? "Nullus verò in Ecclesia Prælati, ait Gregorius VII. per ostium, hoc est per ipsum Dominum, ad Pastorem curam intravit, qui per avaritiam, id est, idolorum servitutem, ad hoc officium pervenit. Non est ergo indignum hujusmodi mercatorum sive mercenarium sub nomine furis infamari, cujus furtivam irreptionem non expavit imitari." In *Concil. R. I. Can. 10.*

XI. Quantumvis Canones citati nominatim agant de his, qui per Simoniam ordinati sunt; eo quod juxta disciplinam illius temporis, per solam ordinationem ad Ecclesiasticos gradus ascenderetur, indubitatum tamen est, eos etiam comprehendisse, qui mutata Ecclesiæ disciplina ad sacra ministeria, & Dignitates Ecclesiasticas non quidem per ordinationem, sed per beneficiorum institutionem Simoniacæ acceptam, promoverentur.

XII. Unde Alexander II. qui sub medio seculi undecimi sedit, non dubitavit citatum Canonem Calchedonensem applicare iis qui beneficium Ecclesiæ vendere vel emere præsumperint, in epistola ad Clerum & populum Lucensem apud Gratianum *caus. 1. g. 3. Can. 9.* "Si aliquis divinatorum præceptorum & animarum salutis immemor, inquit, *Beneficium Ecclesiæ* iniqua cupiditate ductus, vendere vel emere temerario ausu præsumperit, sicut in *Calchedonensi Concilio definitum est*, gradus sui periculo eum subiacere decernimus, nec ministrare possit Ecclesiæ, quam pecunia venalem fieri concupivit.

XIII. Similiter Calistus II. qui sedit seculo XII. quando jam disciplina hæc, collationem beneficiorum ab Ordinatione separans, omnino invaluerat, utramque quoad hanc pœnam conjunxit dicens: "Si quis in Ecclesia ordinationem vel promotionem per pecuniam acquirit, licet acquisita profus careat dignitate.

XIV. Infinita propemodum sunt posteriorum Pontificum & Synodorum Decreta, quæ ipsas beneficiarum collationes Simoniacas, irritant, & omni planè effectu vacuas declarant; nullumque jus earum vigore provilis queri allerunt; ac signanter in Extravagante Pauli II. quæ incipit *Cum detestabile*, referturque sub titulo *De Simonia* inter Extravagantes communes: ubi dicitur: "Per electiones verò, postulationes, confirmationes, provisiones, seu qualvis alias dispositiones, quas Simoniacæ contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino cateant in Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, officiis Ecclesiasticis, & quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam & jus nullatenus acquiritur.

Cum dicatur per hujusmodi electiones & provisiones *cuiquam jus nullatenus acquiri*, rectè concluditur, has provisiones esse *irritas, & nullas*, quod & in Rubrica ejusdem Extravagantis supponitur cum dicitur:

R. I.

Et